



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Crucem bajulat in Calvariam. 61

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

At popularis auræ captator,
 Ita quos places attendis,
 Ut quem plectas non videas.
 Infantis merita oppositis Barbaræ sceleribus juvas
 Non feliciose consilio, quam eventu,
 In eo plurimum injuriæ causæ tam bonæ,
 Quod eam nisi compositam pessimæ
 Videti venia dignam non crederes.
 Impie, linguam absterge, non manus.
 Contractam labem aqua non eluit,
 Quam nec æternus ignis purgabit.
 Cave te coactum excuses;
 Memorem mendacem esse par est;
 Jactasti te posse dimittere;
 Volens igitur perdidisti.

*Quem vultis dimit-
 tam vobis, hunc,
 an Barrabam?*

*Manus lavabat,
 cum totum ejus
 scelus esset in voce,
 & corde.*

*Inexcusabilis Pilatus,
 dixerat enim po-
 testatem habeo di-
 mittere te, &c.*

ELOGIUM LXI.
 CRUCEM BAJULAT IN
 CALVARIAM.

Matth. 27 Marc. 15 Luc. 23. Joan 19.

Purpuram exue venturus ad Crucem;
 Bene Regem non exprimis
 Tuo nondum fixus in Throno.
 Quid tibi cum Arundineo sceptro commune?
 Illo abjecto Crucem assume;
 Gravior ut hæc sit, erit gratior;
 Eam si tuleris, rependet beneficium, cum te feret,
 Tuas iterum vestes induere;
 Mariæ labori venerationem hanc debes.
 Ut quamdiu non elegeris nudus incedere,
 (In die præsertim desponsationis tuæ)
 Alia regumenta non quæras,
 Recusare sarcinam nescis,
 Quæ tuos beat amores, cum gravat humeros.
 Illi tamen impar ferendæ
 Eo ipso, quo relevaris labore, torqueris.
 Gravate te beneficium,
 Quod extorquetur invito.
 Condonanda tamen Rusticitas

*Induerunt eum ite-
 rum vestibus suis,
 atq; ita exuerunt
 purpura.*

*Vestes Christi, tradi-
 tio est, fuisse à Ma-
 ria contextas.*

*Non enim minus
 quam Andreas di-
 cere poterat, o bona
 Crux diu desiderata.*

*Angariaverunt Si-
 monem Cyreneum
 venientem de villa,
 ut tolleret crucem
 ejus.*

De

De villa venienti.

Condonandus & horror feralis ligni;

Odere Crucem homines;

Nimirum fures sunt, & Latrones.

Agnoscit sudoris tui pretium

Obvia Berenice;

Nobiles sordes in linteo colligit,

In quo & accipit vultum tuum.

Extare ubique volueras Dolorum tuorum

Imaginem;

Ubi illos non potes in animis,

Pingis in telis

Erant hæc artis tuæ rudimenta

Sindonem facere perdiscentis,

Expertus te Primum es

Respondens Abagato,

Nunc tanti operis molitioni jam proximus

Non ultra delineandi,

Sed colorandi peritiam probas.

Agunt nondum mortuo Præficas

Piæ mulieres;

Miserationem tamen non laudas,

Quæ tolerantem injurias lugeat,

Cum lugere magis debuerit inferentes.

Totas ibi lacrymas impendi non vis,

Aliis miseris hujus cedis pattem solatii,

Damna non passurus fortasse lugeri tua,

Nisi ipsa enim nostra essent.

*Ita fore ad verbum
Erogo Ost. in serm.
de cœna Domini.**Berenices, seu
Veronica historia
satis nota.**Abagato enim Edef-
sa Principi misit
Christus imaginem
sui expressam in lino.**Occurrerunt ei in
via piæ mulieres.
Nolite flere super
me, sed super vos
ipsas flete, & super
filios vestros.**Damna Christi, ideo
damna nostra, quia
sine peccato nostro
non sunt.*

ELOGIUM LXII.

NUDATUR VESTIBUS.

*Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.**Æstus in Christo,
Eucharistia sumpta:
Deus enim ignis
consumens est.*

Ex quo seipsum suprema deglutivit in Cœna,

Concepto igne febricitat Amor meus.

Cœnaculi vel capacissimi

Jam non ferens angustias,

In Horti aperta respiraturus profiliit.

Et iterata toties emissionem sanguinis

Expet-

*In horto, ad colum-
nam, in Spina
corona.*